



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SSS. Samonas, Gurias & Abibus MM. 15. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

SSS. SAMONAS, GURIAS & ABIBUS MM.  
15. Novembris.

**T**Riumpharunt tergemini Heroës isti Edeßæ. Alii multa eorum miracula, nos unum narrabimus. Erat Edeßæ matrona vidua Sophia, & huic filia Euphemia; illam virtus, hanc etiam formæ gratia commendabat. Sed & miles præsidarius Gothus erat, qui oculis puellæ captus eò demum matrem perpulit, ut barbarum sacerdotum quam hostem mallet. Prius tamen jurare sibi hunc ad Martyrum nostrorū tumbam conceptis verbis voluit, eo loco habiturum se novam nuptam, quo socii thori fides juberet. Facile jurare militi fuit. Ergo in Italiam abducit Euphemiam, non dominam, ut ipsa rebatur, sed servam planè, ut qui domi conjugem pridem habebat. Huic insuper forma tam liberalis in ancillâ minimè placebat. Multò maximè libertus ex eâ natus displicebat. Itaque dolorem vultu & imperiis vindicat, partum veneno tollit. At Euphemia reliquias hujus ab ore filioli legit, meroque miscens novercam infantis Manibus inferias mittit. Ipsa utriusque parentatura, tumulo hujus à cognatis includitur. Sed adfuere tandem fidejussores GVRIAS, SAMONAS & ABIBVS, & Euphemiam somni beneficio transvectam patriæ & parenti reddiderunt. Subinde & Gothus adest; rogatus à Sophiâ de filiâ & nepote, salvum utrumque & ab utroque salutem nuntiat, venturis utique, si gradum militarem gradi vel mulier vel infans potuisset. Verùm perfidiæ à productâ ex adytis Euphemiam convictus capite pœnas dedit, & occidit ecce puer Amor, cui ingens Mars pepercit. Ex Metaphr.

Quid

Nov. 16. VITÆ SANCTORVM.

557

Quid potest tibi mundus conferre sine JESV? Esse  
sine JESV gravis est infernus; & esse cum JESV dulcis  
paradisus. Qui invenit JESVM, invenit thesaurum  
bonum, immo bonum super omne bonum; & qui perdit JES-  
VM, perdit nimis multum, & plus quam totum mun-  
dum. Thom.de Kemp.l.2.

B. ALBERTUS MAGNUS.

16. Novembris.

ALBERTVM, quem nobis Lawinga Suevorum  
dedit, MAGNUM fecit VIRGO MAGNA, in  
cujus clientelam parvulus se dedit. Atque haec ad-  
spectabilis ALBERTO, monuit ad D. Dominici ca-  
stra transiret. Ivit ALBERTVS; verum quod indo-  
lem ad studia tardiorem attulisset, penè statio-  
nem suam tiro deseruit. Jam fugam paranti &  
scalas admoventi cæli scala VIRGO iterum se obje-  
cit, utque animos ALBERTO faceret, jussit inter  
omnes & sacras & humanas scientias ejus optio-  
nem facere, quæ maximè animo arrideret. Ille  
continuò Philosophiam expetiit. Ne tamen sibi  
hanc ascriberet, repetituram se dona sua olim  
VIRGO edixit. Itaque ALBERTVS ille nuper om-  
nium risus, per omnium ora nunc volare, Do-  
ctorque primum Hildeshemii, tum Ratisponæ,  
Lutetiæ deinde Parisiorum, Coloniæ Agrippinæ,  
famâ nominis orbem implere. Sed omnia dixerat,  
si D. Thomam unicum sanctioris doctrinæ ma-  
gistrum, fuisse discipulum ALBERTI dixerat, qui  
insulam Ratisponensem cum primum potuit cum  
libris suis mutavit. Sed ecce tibi dum in ultimâ  
senectâ orbis hoc oraculum responsa fundit, subi-  
tò deficiente rerum omnium memoriâ, obticuit,  
vivumque è scholâ funus discipulorum corona

Aa ; domum